MANTUANA JURIUM

PRO REVERENDISSIMO ARCHIPRESBYTERO,

A C

PRÆLATO S. S. JACOBI, AC PHILIPPI

FRANCISCO LAMBERTI.

MANTUÆ, MDCCLI.

Typis Hæredis Alberti Pazzoni, Regio-Ducalis Typographi;
SUPERIORUM FACULTATE.

Fiat manus tua, ut salvet me; quoniam mandata tua elegi. Ps. 118.
Cui honorem honorem. Div. Paul.

PRæsentiente Revmo Archipresbytero, ac Prælato SS. Philippi, & Jacobi hujusce Mantuanæ Urbis Domino Francisco Lamberti Cathedrale Capitulum, quamprimum velle dignitatis suæ honorem, splendoremque obnubilare, non injuria maluit rodentem strepitum penitus propulsare, quam plenæ vocis effectum præstolari. Idcirco uti mecum familiariter implicatus, rem hanc confabulatus forte, subito motus æquitatis justitiæque ratione pro mea virili jus suum tueri institui.
Atque ut facili, brevique manu omnia perpendamus duplici in parte quod defendo dividendum duxi, quarum altera Archipresbyteri ejusdem, ac Prælati explicet dignitatem, altera ascribat tantæ dignitati decere: 1. Eminentiorem sedem, & suppedaneum in sua Ecclesia tenere: 2. rem sacram facere cum Pluviali assistente: 3. titulo Prælati gaudere: 4. vesperas Pluvialium usu die festo peragere: 5. Capitulum suum in Processionibus non comitari. Quæ omnia non æquo animo videt Cathedrale Capitulum S. Petri, etsi Ecclesiæ Senatus sit, & Concistorium, penes quod Hyerarchiæ Sacræ gradus, dotes, & præeminentias haud innotescere pro non dubio semper sumpsi.
Ut itaque exordiar a prima ex propositis partibus, neminem Ecclesiastico Ordini addictum latere debet veterem fuisse Archipresbyterorum usum (a.) eorumque munus, & dignitatem, graviorem, quam promiscue com-

(a.) *Zeger jus Ec. de Decan. Christi., seu rur. c. 1, §. 12.*

comprehenditur multis ante tempeſtatibus exiſtimari (β.) Hieronymus in Epiſt. ad Ruſticum inquit *Singulis Eccleſiarum Epiſcopis, Archipresbyteris, aliiſque Rectoribus Eccleſia nititur.* Nec mirum habebantur etenim, & nominabantur apud omnes gentes Presbyterorum primi, priores, ac principes, ἀρχοὶ (γ.), tantoque honore fulgebant, ut cæteros præter Epiſcopum Ordinis poteſtate præirent (δ.). Ipſis res Sacræ commiſſæ, omnia, quæ ad divinum decus, & cultum ſpectarent ordinabant (ε.), unde veluti Paſtores eos Eccleſia perpendens (ζ.) non immerito voluit, & juſſit Archipresbyteri dignitatem præeminentiis, & nativa juriſdictione uti poſſe (η.)

Quæ ſi adhuc vigere debent, vigeant in Archipresbytero SS. Philippi, & Jacobi, quem primum erectæ Collegiatæ Bulla verum eſſe Archipresbyterum declaravit. -- *Teque in Archipresbyterum dictæ Eccleſiæ Collegiatæ ſic per nos erectæ ita quod de cætero Archipresbyteratus, & Archipresbyteralis dignitas principalis in Collegiata ſit, & eſſe cenſeatur, & tu, & Succeſſores tui Archipresbyteri ejuſdam veri ſint, & nuncupentur creamus, & inſtituimus. Quodque tu, & Succeſſores tui prædicti omnibus honoribus, privilegiis, antelationibus, indultis, ac præeminentiis bujuſmodi Dignitatibus a jure conceſſis fruaris, & gaudeas, fruantur, & gaudeant, concedimus, & decernimus.* -- Verba, quæ vindicare videntur jus vetus, quod paulatim gliſcente Hyerarchico Ordine Urbani Archipresbyteri amiſere (θ.). Et revera ſi prorſus Bullam, & Conſtitutiones perſcrutemur, unuſquiſque, ni mædia luce vellet cæcutire, cognoſcet realiter eum eſſe Archipresbyterum donatum juriſdictione ſumma, & auctoritate. Poteſt etenim --

Ca-

(β.) *Zeger. ubi ſup. c. 3. §. 7.*

(γ.) *Barboſ. cap. 6. de Canon. n. 2. Bord. conſ. 58. n. 3. Fragaſ. d. Regim. Reip. Chriſt. p. 2. lib. 3. diſp. 8. de grad. & dign. §. 2. n. 18. 19.*

(δ.) *Beyerlinck. in verb. Archipr.*

(ε.) *cap. miniſterium de offic. Archipr.*

(ζ.) *Zeger. ubi ſup. c. 2.*

(η.) *c. 1. 2. 3. de offic. Archipr. Rot. deciſ. 132. n. 16. p. 19. tom. 1. Thomaſſin. in vet., & nov. Eccl. diſc. p. 1. lib. 1. cap. 3. & 4. & cap. 18. Rot. deciſ. 683. n. 2. p. 3. Bich. deciſ. 99. n. 3.*

(θ.) *De Luc. de præeminent. diſc. 20. Barboſ. Juſ. Eccl. de Archipr.*

Capitulum facere, sigillum habere, statuta condere -- (ι.) jus sane, quod supponit liberam apud statuentem jurisdictionem (κ.); ideo illi concessum fuit -- *Ecclesiæ suæ Sacerdotes a divinis suspendere, delicta Canonicorum, Presbyterorum, & aliorum Inferiorum juxta Canonicas Sanctiones ad arbitrium (λ.) corrigere, & punire (μ.)* --; quæ corrigendi, & puniendi geminata facultas, veluti majorem vim præseferens prolata censetur non perfunctorie (ν.), sed aperte demonstrat enixam voluntatem apte concedendi quidquid sub latitudine eorundem verborum potest contineri (ξ.). Præsertim inspecta solius Archipresbyteri potestate, qua nequeunt alicubi mulctati Sacerdotes absolvi, nisi ab eodem (uti Capituli sui caput unicum) retulerint facultatem (ο.) qua non aliis datum est Ecclesiæ regimen gubernare hinc animarum jurisdictionalem curam, vel per se, vel per alium, vel per alios potest dirigere, Missas, ac alia Divina Sacramenta quæcumque ad nutum ordinare ut celebrent, exerceant, & ministrent: (π.) quid amplius? qua potestate cuncti in cunctis Archipresbytero obedire coguntur (ρ.) juramenti vinculo, quod ab omnibus obtinentibus Canonicatus, & Mansionarias præstatur hac formula -- *Ego N. obediens ero, ac fidelis Archipresbytero nostro, aut pro tempore Ecclesiæ nostræ Successore*. -- (σ.)

Quæ cum ita sint restat, ut fateamur congruum esse rationi dignitatem habentem, condecorandum fore in aliquibus supra omnes inferioris gradus (τ.). Hinc cognoscendo exacti Archipresbyteri Dignitatis auctoritatem ex eminentiori loco esse ostendendam (υ.), jure Prælatus præsens officio suo deesse arbitraretur, si Majorum instituta ad un-

(ι.) *Bull. in erect.*
(κ.) *Bart. in l. omnes Populi. in 1. quæst. ff. de just. & jur. Put. decis. 353. lib. 1. & decis. 191. n. 1. l. 2. Rot. decis. 351. n. 6. p. 6.*
(λ.) *Constit. rub. 2.*
(μ.) *Bull. in erect.*
(ν.) *Rot. coram Falconer. tit. de pens. decis. 6. n. 5. & decis. 8. n. 13.*
(ξ.) *l. Balista ff. ad Trabelli Ozasch. decis. 38. n. 18. Rot. coram Falconer. tit. de fideicom. decis. 54. n. 7.*
(ο.) *rub. 21. const. rub. 53. rub. 64.*
(π.) *Bull. in cred. item novis. Bened.* XIV.
(ρ.) *Constit. rub. 1.*
(σ.) *Const. de for. juram. in princ.*
(τ.) *Ex l. 1. ff. offic. Procon. & ex l. ult. C. Præpos. Sac. sub. Oliv. de For. Eccl. p. 3. q. 15. n. 55.*
(υ.) *Panimoll. decis. 1. annot. 16. n. 1. Ursag. tom. 6. p. 2. discept. 27. Scarfanton ad locc. lib. 2. tit. 2. n. 35. & 41.*

unguem tenere non pateretur. Idcirco in eum qui tentasset amovere sedem, & gradum solitum, dum solemnia peraguntur, injuriarum actione agere posset (φ.). Et profecto minime fallor, nam jus quæsitum nemini licet eripere (χ.), eo magis in hac hypothesi, in qua servandum, & tuendum esse, quod inductum fuit ob honorem Dei, sive Ministrorum ejus S.R.C. declaravit (ψ.). Cujus S. Congregationis Archipresbyter tute exposceret sententiam, ne introspiceret nonnullos dignitatis suæ delapsos gradus (ω.), quos tantum unico actu acquirere possumus DD. testimonio (α.) sentiens jus istud honorificæ sedis, vel suppedanei, aut propter consuetudinem, aut propter jurisdictionem obtinuisse, quemadmodum obtinuit in Choro Sedem, cum genuflexorio antea pulvinari continuo velatam. Quod si eum vellent hoc honore insigni tum privare, exorirentur absurda, quod scilicet ipsemet deterioris esset conditionis, quam laici, qui subsellia distincta quoad usum in aliqua Ecclesia possunt retinere de jure novissimo (β.) quanquam nulla valeant in illa, jurisdictione potiri: vel quod hac sede, & gradu uteretur Archipresbyter extra propriam Ecclesiam e regione Cathedralis Capituli denegantis illũ ipsũ gradũ intra limites propriæ jurisdictionis. Nam jamdiu compertum est universæ Diœcesanæ Ecclesiæ qua sede sedit Archipresbyter SS. Philippi, & Jacobi in ea Synodo, quam bonæ memoriæ Episcopus Arrigonius convocavit, ex cujus gradibus Zieglerus de Hierarchia inquit ipsos dignitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ gradus splendescere, & patefacere (γ.). Adsunt viri, & fide, & religione summa, qui non opinari, sed scire dicunt, non audivisse, sed vidisse Archipresbyterum SS. Jacobi, & Philippi, linea tunica, sive

(φ.) *l. 1. in princ. ff. de postul. Sanfelic. decis. 331. n. 13.*

(χ.) *decis. 51. n. 24. p. 10. decis. 27. n. 13. p. 12. decis. 301. n. 15. p. 17.*

(ψ.) *26. Junii 1605. Barbos. collect. 440. n. 3.*

(ω.) *Purpurat. in l. 1. n. 93. ff. de jurisd. omn. Jud. Sanfelic. decis. 335. n. 13.*

(α.) *Menoch. cons. 226. n. 6. lib. 2. Marzar. cons. lib. 1. Sanfelic. ibi n. 20.*

(β.) *Gratian discept. for. cap. 210. n. 57. 58. tom. 2. Reg. Valens. cons. 176. tom. 2. Sanfelic. decis. 331. addit. De Luc. Dottor Volg. della preminenz. c. 5. n. 9.*

(γ.) *cap. 2. §. 6.*

te *Roccbetto*, & palliolo, sive *Mantelletta* indutum (quemadmodum loco Almutiæ, & superpellicei Primæ Dignitati S. C. R. concessit (δ.), sedentem æqualiter Primicerio Sancti Andreæ cum cooperto gradu. Qua propter arguendo a contrariis cum Ursaya (ι.) more solito Cardinalis De Luca diceret, nefas esse pernegare alicui Dignitati honorem, quem multo antea in grandi virorum concursu est consecuta. (ε.) Et hoc fortius attendendum venit propter majorem officii, & dierum celebritatem, in quibus Missa dicitur ab Archipresbytero cum Pluviali Assistente. Ex qua controversia fateor exiguitatem meam, nescio percipere, ubinam firmetur adversa censura., dum ex una parte nihil omnino deperit Canonicis, num res sacræ fiant cum Diacono, Subdiacono, & Assistente, vel secus: ex altera autem eodemmet tempore, quo celebratur divinus cultus, & divina veneratio amplificatur, adiiciturque Ecclesiasticis functionibus decus, & pompa, quam undique decet & quærere, & explicare (ζ.). Ita ut etiam, quando nulla adduceretur congruentia, & nulla comprobaretur functionum majestas, adhuc semper pro tali permissiva inclinandum esset per text. in l. 2. §. item Varro ff. de aqu. plu. arc. - ibi - *qui factus mihi quidem prodesse potest, ipsi nihil nociturus est, hæc æquitas suggerit, etiam si jure stricto deficiamur.* Neque dubitandum nobis est, quin hæc cæremonia sit, quæ veluti accidentalis (η.) fere omnibus convenire est arbitrandum, quid utar exemplis? permultas habemus ubique Ecclesias, quibus hoc Assistentis officium tribuitur. Hinc Divus Carolus Borrhomeus Legatus ad universam Italiam, statuit eligendos esse Sacerdotes, qui in Orbem

(δ.) *in Placen. 10. Junii 1621. quam refert Sellius c. 7. n. 27. cui decisioni perbelle adæquamus disc. Card. de Luc. de præc. 54. n. 2. Scarfanton. ad Coet. tit. 13. lib. 1. n. 29. 30.*

(ι.) *tom. 6. p. 2. dis. 29. n. 144. ubi hanc quæstionem solvit Sac. Rit. Cong. per Cardinalem Londodarium, die 7. Julii 1725., jus sitque ut servetur antiqua consuetudo. Consuetudine autem demonstratur locus sedendi. Rot. decis. 25. n. 16. p. 10.*

(ε) *p. 5. adv. ad S.C.Trid. disc. 6. n. 6.*

(ζ) *ad text. in c. quia per ambitiosum de rescr. in 6. - ibi - minuitur cultus divinus, quem desideramus augeri. ad tex. ivi cap. ex parte de de const. in Romana ornatus 6. Julii 1708. §. verum, coram Omana. Ursaja. discept. Eccl. tom. 6. p. 2. discept. 26. n. 49.*

[η.] *Turrin. direct. sacrif. Præt. ad lect.*

bem obeant, quorum munus ſit inſtituere Aſſiſtentes, qui pluviali induti in ſolemni miſſa accedant, ut grandi quodam apparatu, tum in Cathedralibus, tum in Collegiatis Sacrificii majeſtas eluceſcat (θ.). Verumtamen non paucos audio affirmare ad ſolum Capitulum Cathedralis ſpectare Miſſam dicere, cum Aſſiſtente, dum in archivio ejuſdem Eccleſiæ adſervatur privilegium, quod certe non debet egredi Perſonam privilegiarii. Sed quæſo hujuſce Privilegii finalem cauſam introſpiciamus. Anno 1604. 19. Julii Sacra Rit. Cong. convenire decrevit *propter immemorabilem conſuetudinem* Canonicis Mantuanæ Cathedralis, uti Presbytero Aſſiſtente, qui ſerviat Miſſæ ſolemni, præter Diaconum, & Subdiaconum (ι.). Quæ ſi ita ſe habent vident omnes hujus decreti, ſeu privilegii, ut celebrant, finalem cauſam, nemini poteſtatem tollere, vel conſuetudinem ipſam introducendi, vel introductam confirmare, multo minus Archipresbytero noſtro, qui ut pote dignitatem adminiſtrantem cum juriſdictione, præferendus eſt illis qui honoris nomen tantum tenent (ια.), parum etenim eſt dignitatis nomen tenere, ſi ab ipſa re diſtas (ιβ.). Interrogate gentes omnes, & dicent hoc aſſiſtente uſos eſſe ſemper Archipresbyteros per multos annos: & confirmabunt, ſi lubet, hancce meritam conſuetudinem, quæ in hac cæremoniarum materia totum facit, & decernit, probante eandem ſententiam Eminentiſſimo De Luca (ιγ.), qui cum aliis inſimul repetit decennium dumtaxat ſufficere pro manutentione iſtiuſmodi honorificæ poſſeſſionis. Quo probato, quid adderent novi? nihilum profecto, cum ſatis debent ex allato S. R. C. decreto intelligere nullum poſ-

[θ.] *Arduin. Conc. omn. vol. 5. pag. 503. Labbè collect. concil. tom. 21. conc. Mediolan. 1. an. Chriſt. 1565. 55. 56. Larrea. epiſt. Canon. in verb. aſſiſtens.*

[ι.] *Barboſ. apoſt. decíſ. collect. 47. n. 15. Bauldri. mann. ſacr cær. cap. 3. de Presbyt. aſſiſ. §. 1. sect. 7. cap. 10. Turrin. direct. ſacriſ. p. 1. ſect. 2. c. 3. in princ.*

[ια.] *Cujac. in l. 2. C. ut dign. Ordo ſervet. Cabad. decíſ. 4. n. 3. & 4. Manſ. tom. 7. Scarfanton. lib. 1. tit. 8. n. 14.*

[ιβ.] *Cic. in academ. Cyriac. contr. 201. n. 100.*

[ιγ.] *de Canon. & cap. diſc. 3. n. 3.*

posse jus privativum sortiri, quoniam ejusmodi finalis causa, sicuti generalis, quam Petrum, quam Paulum complecti valet. Imo si licet aliquid ex illo arguere, dicam vim fuisse consuetudinis solummodo, *stante immemorabili consuetudine*, quæ præsto fuit Canonicis, ne Assistentis officium pernegaretur; alioqui nullus est, qui ignoret solis Prælatis datam esse assistentiam in Missa solemni juxta præscripta in ceremoniali Episcoporum (ιδ.). Quocirca jus istud quoad Archipresbyterum natum est, non solum consuetudinis, sed etiam dignitatis ratione, qua prorsus carent Canonici Cathedralis, stricto ut loquar modo.

Verum hic permulta omitto, quæ dignitatis hujusce honorem latius explicent, cum permulta ex supradictis vidistis, quæ eam non tam a nomine, quam ab effectu sortitam comprobent. Nunc mihi aditus facilior est ad contentionem tituli Prælati, quo freti sunt omnes Sacrorum Canonum judicio, qui toti præsunt, vel Presbyterorum, vel Canonicorum Collegio, Congregationi, Cœtui, Capitulo (ιε.), quare Personatum tenens, Plebaniam, sive Prioriam in aliqua Ecclesia, jure Prælatus est nuncupatus (ις.), quia alios omnes Ordinis inferiores excedit (ιζ.). Nec me præterit triplici classe divisos esse Prælatos. Alii jurisdictionem habent omnimodam, cum territorio, alii jurisdictione potiuntur sine territorio, alii demum eadem fruuntur jurisdictione in Clerum, & Populum, cum debita tamen Episcopo subjectione (ιη.): in qua novissima authenticis argumentis esse connumerandum Archipresbyterum nostrum inficiari non possumus. Habemus etenim eum præter jurisdictionem dignitate præditum, perpetuus a Summo Pontifice col-

[ιδ.] *l. 1. c. 8. Pisc. lib. 1. sect. 7. cap. 10. n. 1. Turrin. ubi sup.*

[ιε.] *Abbas. in c. requisisti. de testam. id. in c. dudum. de elect. Molin. de Canoni. c. 14. lib. 2.*

[ις.] *c. bonæ 12. q. 2. c. 1. & 16. Ab. d. elect.*

(ιζ.) *Glos. in c. bonæ memoriæ de elect.*

(ιη.) *Unsay. tom. 1. p. 1. disceptat. 9. n. 65. & seqq.*

collata; quæ autem à S. Sede conferuntur majora Sacerdotia arbitrantur (ω.): habemus consensum solemniter præstitum ab Episcopo Marco Gonzaga, quando die 10. Octobris 1575. constitutionem Ecclesiæ particularem SS. Jacobi ratificavit, confirmavit, approbavit, vocavitque ejusdem Ecclesiæ tunc temporis Archipresbyterum Franciscum Galvagnum Prælatum: usum denique ipsum habemus, quo scimus Romanam Sedem Prælati titulo honorare quascumque Dignitates, quæ Principatum teneant in Ecclesia Collegiata (x.); quod recte equidem; nam Roma non hæret verbis, sed verborum secretum pondus pertendere, ac indagare solet. Hæc sunt solida inditia notis inusta veritatis, quibus Archipresbyter jure sibi potest vindicare inveteratum nomen, quod jam multis ab hinc annis cæteri Archipresbyteri obtinuerant. Patent, me juvat repetere Ecclesiæ suæ constitutiones, vel leges, ex quibus non solum judicabitis eum uti verum Archipresbyterum, ac Prælatum, & dignitate, & gradu tum in Hyerarchico, cum in symetrico Ordine ab aliis esse secernendum, sed etiam comprobabitis decuisse, ac debuisse diem festum cum Pluvialibus peragere.

En suæ legis litera — *Diebus festis, & quibus aliquod festum occurrerit, volumus illud sub duplici officio celebretur, nec non, & altare ejus incensari, & alia consueta fieri, & cum Pluvialibus, secundum consuetudinem Majoris Ecclesiæ* (xx.) — Qua lege possumus sine periculo Archipresbyteri jura tueri, cum duæ res ibi, mihi liceat adnotare, quæ plurimum possunt: *cum Pluvialibus scilicet, & secundum consuetudinem Majoris Ecclesiæ.* Quod attinet ad primam scire sufficiat ab in-

(ω.) c. *Abbate de elect.* lib. 1. *Reg. de Marinis resol.* quot. lib. 1. cap. 1. *Fontanell.* 19. *patron.* lib. 4. *quæst.* 1. n. 12.

[x.] *De Luc. Dot. Volg.* lib. 3. *dell. giurisd.* c. 5. n. 4. *Chassaneus cat. glor. mund.* p. 4. c. 38. *Barbos. de Canonic.* cap. 4. n. 29. 30. & c. 9. n. 19. 20. *Cucb. in instit. maio. tit. de præpos.*

(xx.) *constit. rub.* 18.

incunabulis plurale saltem duale complecti (κβ.): quod spectat secundam, jam constat ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis (κγ.) Collegiatæ Ecclesiæ exemplum esse Cathedralem (κδ.), unde ista veluti omnibus major sit divini Ministerii norma, quæ alios doceat illud perficere majori, qua decet pompa, & majestate. Ego sic existimo, neque credite solis Episcopis, ac Superioribus Prælatis Pluvialium assistentiam competere, cum ipsis dumtaxat conveniat Pluvialium circulum ad formam cæremonialis (κε.), ut denotent membrorum unionem ad ipsum caput Episcopum, seu Prælatum proprium habentem Territorium, qui una cum suis Canonicis format unum corpus (κς.). Aliter, si Pluvialium moderatus usus, Ecclesias Collegiatas non respiceret, nec essent officia instituta Assistentium ad solemnes Vesperas in Collegiatis, qui senario numero Prælato serviant pluvialibus induti æqualibus (κζ.), nec ullæ prorsus Dignitates Missam dicerent cum Pluviali Assistente, cum debeant eadem solemnitate, qua Missa dicitur, cantari Vespere, quæmadmodum dispositum fuit in cæremoniali Episcoporum (κη.). Absonum secus esset, & incongruum nimis, quod respectu unius, & ejusdem Festi de mane solemnissime res sacra fiat, & in Vespere ejus solemnitatis pompa expalliata decedat (κθ.). Ea ratione, quia correspectiva habentur per inde, ac si esset unica, & eadem res, ita ut minime permittatur alteram partem acceptare, & alteram respuere (λ.). Sed quid ego plura de hac re? Aliud etiam mussitant fecisse Archipresbyterum, quod facere non licuerit; dicunt pernecesse eum debere comitari Collegium suum, quoties adit Cathedralem Ecclesiam. Leve est hoc

[κβ.] *l. uti numerus ff. de testib. Barbos. axiom. jur. axiom. 179. n. 1. Rot. decis. 182. n. 11. p. 9. tom. 1.*

[κγ.] *in Constantiens. 27. Janu. 1713. coram Ansald.*

[κδ.] *Ciarlin. contr. for. cap. 204. n. 9. 10. 11. Rot. decis. 560. n. 2. 3. p. 19.*

[κε.] *lib. 1. cap. 21.*

[κς.] *Pitton. discept. 44. n. 12. 3. 4.*

[κζ.] *cærem. Epis. lib. 2. cap. 8. in princ., & sin. Pisc. lib. 1. sect. 7. c. 9.*

(κη.) *lib. 2. c. 3. ante fin. Pitton. ubi sup. n. 9.*

[κθ.] *Castal. de sacr. cærem. lib. 2. sect. 5. cap. 8. n. 1. versic. & omnino.*

[λ.] *Altograd. cons. 105. n. 18. Rot. apud Salgad. Labyr. Cred. decis. 49. n. 3. 4. Cavaler. decis. 612. n. 23. & decis. 346. n. 3. & 4. p. 16.*

hoc profecto, quia aut respiciunt Processionem Episcopalem, & tunc nil referat quærere quomodo ad Ecclesiam accessit Archipresbyter, cui sat esse debet cum suo Collegio interesse, quando processio incipit, prosequitur, & terminat: in quo processiones essentialiter consistunt, cum cætera tamquam extrinseca habenda sint; aut functiones alias respiciunt Cathedrales, quas solent adire Canonici SS. Jacobi, & Philippi, & tunc jure meritoque Collegium prosequi haud sentit hodiernus Prælatus, cum jure utatur Antecessorum, quod nefas esse putaret immutare. Sui enim muneris, & suæ dignitatis est omnia honoris signa, vel privilegio, vel consuetudine confirmata penitus servare.

Dixi ad hæc omnia Illustrissime, ac Reverendissime Præsul, quæ si erunt sine mora, matureque a dominatione vestra Illustrissima, & Reverendissima solum decreta juxta Concilii Tridentini sententiam (λα.), facilius apparebit Civitati Domini Archipresbyteri splendor[illegible], ac dignita[illegible]. Hoc a Dominatione vestra petit idem Archipresbyter, non ut aperte videatur resistere Venerabilis Capituli opinioni, sed ut explicet, & servet si poterit suos hyerarchicos gradus, & majorum laudabiles consuetudines. Omnes etenim naturali ratione adstricti nihil esse æstimandum putamus apud Mortales, quantum est honor, & dignitas. Nolit demum Dominatio vestra Illustrissima, ac Reverendissima permittere quod subito turbine ab aliis pervertantur jura consuetudinis, & constitutionum. Perpendat prudenti, ac solita acie dignitatem, quam olim Dominus Franceschini S. Barbaræ Ordinarius Abbas (λβ.) non est dedignatus occupare, & inde judicet.

Alexander Nonius J.C.C.

[λα.] *sess. 25. cap. 13. Spetell. decis. 76. n. 23. Leon. in thesaur. Stor. Eccl. p. 1. qu. 8. n. 18.*

[λβ.] *Donesmond. p. 2. Istor. Eccl. lib. 8. fol. mihi 243. editi di Mantov. 1616. - ivi - Fu di questo medesimo anno (1579.) Monsignor Francesco Abate di S. Barbara fatto Arciprete della Chiesa Collegiata di S. Giacomo; ed in suo luogo successe per quinto Abate Monsignor Settimio Borsieri Mantovano, Prelato di gran consiglio, valore.*